

1605

Joannes
Sfortia
Purliliani
nus ad Venetorum
missus,
& ejus ex-
positio.

barbarorum indies crescente metu, instantique periculorum facie perterritus Ferdinandus, denuo eundem Sfortiam Principem patresque adire, postulata innovare jubet: *Non minus publica in se voluntate fretum, quam necessitate adactum, iterum enixius Reipublicae opem implorare: urgeri Stiriam a potentissimo hoste, fumare tecta, comburi domos, hostem libere vagari, cuncta ferro atque igne demetiri: exhaustas populorum vires, nervos belli deficere: quid aliud expectandum sit, nisi ut insolens Thrax, quacumque iter direxerit, cuncta dejiciat ac prosterнат? quae enim flumina, quae arces in iis regionibus sistere, exundantis torrentis in morem, barbarorum impetum queant? Ea si (ut maxime verendum videtur) acciderint, an non illa quoque tabes Italiam invasura sit? itaque id subsidium petere, quod & sibi magno usui sit futurum, & nullo detrimento praestari possit: ejusmodi grati animi officio sibi in perpetuum nexum devinctumque optimum & religiosissimum Principem fore.* His atque aliis flectere Patrum mentes Sfortia adnixus est. In diversas sententias Patres scinduntur. Quidam pecuniae subsidia, si acie instructa Ferdinandi ditiones hostes invadant, Rochespurgum oppidum aut oppugnent aut obsideant, pecuniam subministrandam censent. Alii superiori decreto insistendum arbitrantur. Res vehementibus disceptationibus acta. Cum nondum in suffragia itum esset, nuntii superveniunt, Pannonες atque Haiducos (genus id hominum ferum atque agreste) receptum canere, atque in suas regiones regredi. Inde communi consensu in ejusmodi sententiam decretum, quo Sfortiae responderetur, factum: *Quaecumque Ferdinandi intersint, eadem quoque cordi Senatui esse: siquid ejus ditionibus adversi immineat, propensum in se Reipublicae animum non desideraturum.* Interim conciliare Boscajum Caesari Bastius non cessat. Ille, si quae antea efflagitaverat, sibi concedantur, adfensurum pollicetur. At cuncta irrita conatu agebantur. His audaciores facti Turcae, Mehemete Visiro duce, Strigonium, Pannoniae praecipuum munimentum, aggressi, pridie nonas octobris divi Francisci festo die, deditioe recipiunt, ingenti propugnatorum probro, qui munitissimam arcem, totque laboribus ac sanguine superioribus annis receptam, turpissime barbaro, omni prorsus impo-sterum recuperandi spe amissa, tradidere. At nihilominus de

Senatus
responsum.

Strigonium
a Turcis
deditioe
captum.

concor-